



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

262. feria 4. de Circumspectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

468 *Feria 3. Domin. 13. post Pentecost.*
tim eos perfecit, in hac prima vocatione
perfectos reddidit.

Conf. 3. Actiones ejus sunt: 1. Omnem
illicitum congressum carnis ignorare. 2. Ab
illicito & licito carnis opere abstinere. 3. De-
sideria carnis opprimere, nec eis consentire,
4. Non immorari in cogitationibus carnis,
sed eas ut carbonem statim eijcere. 5. Tur-
pes motus efficaciter comprimere, & tactus,
ac aspectus horum causas vitare. 6. Ita cor-
pus jejunijs, vigilijs, asperitatibus domare:
& animam sanctis meditationibus occupare.
ut hæc passio nec in vigilia, nec in somno
nos infestet. Laudabo Dominum pro hæc
virtute. Petam veniam, quidquid contra
eam contingit, eandem postulabo,

MEDITATIO CCLXII.

Feria 4. Domin. 14. post Pentecost.

De Circumspectione.

Videbo D. JESVM in serpente figuratum
Joan. 1. v. 25. Semetipsum non creden-
tem ijs, qui eum secuti erant, ut me doceret,
circumspectionem. Petam eum imitari.

Conf. 1. Circumspectio est attentio men-
tis sedula ad ea, quæ circumstant bonum; &
ad ejus impedimenta.

Conf. 2. Incitamenta ad eam sunt: 1. ma-
litia diaboli, qui tanquam leo circuit. 2.

Homi-

Feria 4. Domin. 13. post Pentecost. 469

Hominum vel fragilitas, vel malitia, ideo dicitur: *Cavete ab hominibus.* Matth. 10. 3. Omnia sunt plena periculis, & non inuitio solum, sed etiam in virtute periculum est. 4. Dominus mittens Discipulos, ut oves inter lupos jubet illos esse prudentes sicut serpentes, simplices sicut columbas. 5. Exemplo Christi, qui semetipsum non credebat quibusdam, tamen si crederent in Christum, eo, quod ipse sciebat, quid esset in homine.

Conf. 3. Actiones ejus sunt: 1. Finem bonum intendere, & erga eum affici. 2. In electione, & multo magis in executione, passim, praecipitationem, & obstinationem fugere. 3. Circumspectio extrema fugit. 4. Proportionata fini eligit. 5. In dubijs consilium omnium audire, sed paucorum & prudentiorum sequi. 6. Festinare lente, mature decernendo agenda, & opportune exequendo decreta. 6. Maturitas non sit tarda, nec tempus loquendi, aut tacendi, quod oportet, & errandi periculum dimittatur. 8. Ad substantiam & modum operis, ne in aliquo deficias, advertendum. 9. Non omnibus fidentum, nec arcana sua passim revelanda. 10. procul odoratur bellum circumspectio, ac pericula, & si potest, illa fugit, sin minus, orationibus, aliisque meditationibus se praeparat. 11. Nequaquam omni spiritui credit,
sed

470 *Feria 4. Domin. 13. post Pentecost.*
sed probat, an ex Deo sit, 12. Ubi timendum,
timet, ubi nil formidinis, audet, nec omnia
bona, sed statui congrua præsumit. 13. Opi-
miones vulgi contemnit, & dicta trepidorū:
& solūm Dei beneplacitum conscientia at-
testationem, & bonorum approbationem
requirit. 14. Nec omnia credit, nec omnia
discredit, sed quæcunque se offerunt, ex præ-
scripto rationis iudicat. 15. In aestimatione
rerum externâ specie non fallitur, sed intima
penetrare conatur. 16. Non est facilis in cre-
dendo, ne sit levis, nec in concedendo, ne
pœniteat, nec in iudicando, ne erret, nec in
promittendo, ne fallat, nec in conversando,
ne sit occasio contemptûs, nec in irascendo,
nam id insanix est indicium.

MEDITATIO CCLXIII.

Feria 5. Domin. 13. post Pentecost.

De Clementia.

Videbo Dominum **JESVM** super ingra-
tos & malos beneficia clementissimè
pluentem, Luc. 6. Petam eum imitari.

Conf. 1. Clementia est virtus, quâ ad mo-
deratè puniendum mitescimus, & pœnas in-
figendas delinquentibus moderamur.

Conf. 2. Incitamenta ejus: 1. Deus magna
flagitia hominum minoribus castigationsi-
bus punit. 2. Christus Dominus nescivit ab
ullo